



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCXL. Ein gewisser Konrad Rauen und dessen Sohn vereignen dem Domcapitel eine jährliche Getreiderente im Dorfe Barnewitz, am 12. März 1348.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCXL. Ein gewisser Konrad Rauen und dessen Sohn vereignen dem Domcapitel eine jährliche Getreiderente im Dorfe Barnewitz, am 12. März 1348.

Nos Conradus senior et Conradus junior, dicti Rauen, vobis honorabili viro domino Thyderico, preposito ecclesie Brandenburgensis, et ecclesie vestre, quibus bone memorie dominus Woldemarus, olim marchio Brandenburgensis, vendidit et tradidit villam Bornewitz, in qua progenitores nostri et nos in pheudum habuimus unum chorum siliginis, Nicolaum de Brandenburg, qui dictum unum chorum siliginis a nobis actenus in pheudum tenuit, vobis et ad vos liberaliter remittimus ad accipiendum et tenendum a vobis in pheudum siliginem ante dictum, pro nobis et nostris heredibus renunciantes ad usum ecclesie vestre omni juri, quod nobis et nostris successoribus competere poterit futuris temporibus in redditibus siliginis antedicti, quod sub apensione nostrorum sigillorum protestamur. Actum et datum Lokenitz, in die beati Gregorii pape anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLVIII<sup>o</sup>.

Nach dem Originale.

CCXLI. Der Brandenburger und der Havelberger Bischof errichten ein Trutz- und Schutzbündniß auf fünf Jahre, am 6. Oct. 1349.

In nomine domini. Amen. Thydericus Brandenburgensis, Borchardus Havelbergensis dei gratia ecclesiarum episcopi, universis et singulis, quorum interest aut quibus nosse fuerit oportunitum, salutem et notitiam subscriptorum illibatam. Quia nonnulli ecclesiastici et mundani principes et quam plures alii, temporale dominium vel potestatis gerentes officium secularis, contra libertatem et emunitatem a canonis sacris et legibus indultam nostras matrices et alias nobis subditas ecclesias et earum bona spoliunt, distrahant et diripiunt et interdum incendunt, eisdem tallias, collectas seu angarias indebitas imponunt, jura, jurisdictiones, vasallos, fundos, decimas ac alios redditus ab olim incorporatos usurpant et occupant aut usurpantibus sive occupantibus occasionem prestant in sacerdotes et in ceteros clericos manus temere violentas injiciunt, sine mandato nostro capiunt et demum propria temeritate eosdem dure ad instar furum ligatos in clericalis dignitatis maculam ad nostram presentiam pertrahunt, canonem late sententiae per hujusmodi presentationem subdolan evadere curiose pretendentes; sunt etiam plerique, qui nostram jurisdictionem et potestatem ordinariam contra jus scriptum elidunt et enervant et plura alia attemptant, que in nostram et subditorum nostrorum et ecclesiarum nostrarum detrimentum vergere non modicum dinoscuntur. Ob quam rem cum generaliter propter malum statum terrarum et specialiter propter gwerras publicas, inter principes jam aliquamdiu in marchia circumquaque motas et actu perdurantes, a prefatis violentiis et ausibus illicitis sine mutuo defensionis presidio nequeamus, quod dolentè referimus, quomodolibet relevari, societatem ac unionem ad mutuo defendendum nos et nostros et eorum jura cum debita statutorum provincialium observantia ac alias in judicio et extra, ordinaria seu delegata, ubi, quando et quotiens necesse fuerit, contra quascunque personas ecclesiasticas et mundanas cujuscunque preeminencia status presulgeant, domini nostri pape et nostri superioris, sicut decet, auctoritate duntaxat excepta, inter nos de necessitate facere compellimur realiter et inire, cum revera unita virtus in se fortior est dispersa. Nos igitur Thydericus Brandenburgensis et Borchardus Havelbergensis episcopi supradicti, societatem et unionem, ut premititur,